

21
124
3.

X 2316804

II
207

ISRAELITARVM IVDICES DICTATORES
ROMANORVM?

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

FRIDERICI III,

DVCIS SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE QVOQVE ET WESTPHALIAE, LANDGRAVII
THVRINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE, PRINCIPIS DIGNITATE
COMITIS HENNEBERGIAE, COMITIS MARCAE ET
RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVEN-
STEINI, TONNAE REL.

DOMINI NOSTRI ET PATRIAE PATRIS
MVLTO CLEMENTISSIMI
NATALI EXOPTATISSIMO

VII KAL. MAII, A. R. S. MDCC LXIV,

QVAM FELICISSIME REDEVNTE,
ILLVSTRISSIMVS COMES,

PROVINCIAE EISENB. PRAESES EMINENTISSIMVS,
EPHORVS ET SCHOLAE INSPECTORES GRAVISSIMI

ATQVE
OMNES FAVTORES ET AMPLIFICATORES REI SCHOLASTICAE
ADMODYM HONORANDI,

VT AD ORATIVCVLAS BENEVOLE AVDIENDAS

IN AVDITORIO MAIORI

C. L. H. IX ANTE MERIDIEM COMPARERE HAUD DEDIGNENTVR,


DEMISSE, OBSERVANTERQVE ET PERAMICE

ORAT ET ROGAT

M. IOH. DAVID GSCHWEND, RECT

EISENBERGAE,

LITTERIS WALTHERIANIS





on suscepti imperii primum diem solum celebrare, sed Principis die Natali etiam vota priorum annorum nuncupata persolvere et noua suscipere, a Romanorum consuetudine non abhorrebat. Vnum modo eumque optimum latinae linguae arbitrum citare liceat, de celebrato imperii die ad *Traianum*, quo meliorem olim Imperatorem non fuisse ferunt, paucis scribentem: *Diem, Domine, quo seruasti imperium, dum suscipis, quanta mereris laetitia, celebramus, precati Deos, ut Te generi humano, cuius tutela et securitas salutis Tuae innisa est, incolumem florentemque praestarent!* Idemque nec tacitum fert, quod priorum annorum vota persolverit nuncupata et noua susceperit, Deos precatus, ut Imperatorem remque publicam florentem et incolumem ea benignitate seruet, quam supra magnas plurimasque *Virtutes*, praecipue sanctitate consequi Deorum honore meruerit. Quem diem Natalem triplici gaudio laetum scribit, utpote qui Principem absterit pessimum, dederit optimum et meliorem optimo genuerit.

Longe inferior sum, qui tam gloriosi Imperatoris laudem inuiquam: nihilo tamen fecius, quibus etiam Virtutibus, ignoscatur abusi! floruerit, ab homine sanioribus sacris imbuto nullae habentur. Etenim nos soli ignoremus, nos hospites in his terris versetur, nostrae peregrinentur aures neque hac peruagata prioribus initiatorum sacris instructi sumus doctrina, non, nisi actiones ex vera fide in optimum salutis nostrae Instauratorem profectas Virtutum nomine ornandas esse?

Qua de causa SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI FRIDERICI III,

DVCIS SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE AEQVE AC WESTPHALIAE, LANDGRAVII THVRINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE, PRINCIPIS DIGNITATE COMITIS HENNEBERGIAE, COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINI, TONNAE, REL. PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI LONGE CLEMENTISSIMI, CUIVS *Dies Natalis* auspiciousissimus, qui vere triplici gaudio lactus: *Quod res Christiana florere non desit; anni in vilitate SERENISSIMI PATRIAE PATRIS providentia esse coeperunt; pecuniae adulationi occursum;* hodie pectore deuotissime celebrandus laetissimo, *Virtutes verae* sunt dicendae et IPSE dignus, DEVM, perennem omnis felicitatis scaturiginem, ardentissime precari, ut SERENISSIMUM DVCEM, PATRIAE PRINCIPEM OPTIMUM DOMVMQVE SERENISSIMAM ac rem pariter publicam florentem et incolumem ea benignitate seruet, quam supra magnas plurimasque Virtutes praecipue sanctitate consequi DEI immortalis honore amoreque meruerit!

Non priuatim vero ardentissimas preces solum pro SERENISSIMI PATRIAE PATRIS incolumitate, SERENISSIMAE CONIVGIS salute, SERENISSIMI PRINCIPIS HEREDIS TOTIVSQUE SERENISSIMAE DOMVS SAXONICAE GOTHANAE flore perpetuo fundimus sumusque fufuri, sed publice quoque

Humanissimis et multo Virtutum ornatu admodum Conspicui Adolescentes,

IOH. THEOPHILVS EISENSCHMID, Burgella - Vallensis, MO
IOH. THEOPHILVS BOEHM, Reichenbaco - Variscus,
GEORGIVS WILHELMVS GRIESHAMMER, Walperhaina - Terr.
Orient.

CHRISTIANVS FRIDERICVS KLEBART, Reichenbaco - Variscus

vota ad DEVM immortalem totius scholastici coetus nomine missuri sunt. Quibus autem votis deuotissimis oratorum Primus *singulari pietate et modesta praedictis praemissurus est Oratiunculam* latino idiomate scriptam de *Summa vbiqve in ciuitate potestate;* Alter horum, *quem praeter pietatem bona indoles et morum elegancia commendant,* germanice disputabit: *Virum Monarchiae, an Aristocratiae primae dandae sint?* Tertius, *qui praecepta percepta felici tenet memoria et doctrinae praesentia non paucos post se relinquit,* Oratione latina inquiret: *Penes multitudinem an etiam summa potestas esse queat?* Quartus, *qui caeteris commilitonibus Virtutum gloria non cedit, Theocratiam omnibus populorum administrationibus iure meritoque vernaculo sermone praefereat.*

Qua ut olim gens *Israeilitica* gaudia est: sic ab hoc argumento non longe remotum esse duco, si inuestigo: *Israeilitarum Iudices an Dicitatores Romanorum aemulari sint?*

Quum

Quum anno vr̄bis conditae CCLV omnes latini populi conspiratione facta bellum Romanis mouerent, Senatui etiam in non paruis angustis et periculis constituto domesticis non nihil difficultatis obiceretur et rebus ad seditionem spectantibus in Senatu ipso plurimum discrepantes sententiae audirentur: tandem in eodem facta est mentio eiusmodi Magistratus, cui aliquando plus autoritatis et potestatis esset, quam Consulibus. Quare S. C. de creando Dictatore tale factum esse scribitur, vt T. *Lartius* et *Caelius*, COSS. deponant potestatem, vnus autem vir a Senatu electus approbatusque suffragiis populi habeat semestrem omnium rerum potestatem amplio- rem, quam fuerit Consulum. Quo S. C. ad plebem delato et ab eo approbato T. *Lartius*, quem etiam *Largum* scribunt, primus a Collega Dictator vocatus est. Appellatus autem est Dictator, vel quod a Consule diceretur, vel, quod verisimilius; quoniam eius *dicto* omnes audientes esse debebant; simulatque cauit Senatus, ne inuidiosum et molestum nomen imponeretur Magistratui gubernaturo liberam ciuitatem. Attamen et idem Magister populi dicitur.

Quo autem Dictatoris nomen non sit despiciatui nec tam ambitiosus populus sese submittere recuset vni huic viro: eidem summa ac plena potestas belli ac pacis data aliorumque omnium negotiorum et ea quidem proflus libera et absque omni prouocatione et sic etiam ius animaduertendi pro sua sententia in cuiuscunq; Romani caput; indicta causa et inconsulto populo mandandi, edicendi, praescribendi, creandi in semestre Magistratus, prout ipsi videretur esse ex commodo reipublicae.

Veruntamen non perpetua, nec etiam diuturna, sed vt ratum habitum, maxime semestris haec fuit potestas; quamquam aliquando in magnis periculis ad annum a nonnullis fuit continuata. Hinc illa lex *Ciceronis*: *Atq; quando duellum grauius discordianae ciuium crescant: vnus non amplius sex menses, nisi Senatus eruerit, idem iuris, quod duo Consules, teneo isque aue sinistra dicitur populi Magister esto.* Quod vero in magnis periculis haec potestas ad annum esse continuata sit: exemplo esse possunt *Camillus*, L. *Papirius Cursor* et Q. *Fabius Maximus*. Qua Dictatura tamen graue onus Dictatori impositum esse arbitror, quod nonnulli Dictatores ante legitimum tempus et adeo decimo quarto vel quinto die, postquam Dictaturam adepti fuerant, eandem deposuerunt. Cuius rei et causa fuisse videtur, quod Dictatoris potestas valde adstricta fuerat: siquidem adeo illi non licebat equum, nisi ad bellum ituro, conscendere et alios sumtos ex aerario facere sine S. C. aut populi iussu. De caetero omnes fasces, vt plus terroris haberet et maiorem parendi necessitatem hominibus ineuteret, vsurpabat. Praeter alia discrimen hoc inter Consulem ac Dictatorem fuisse legitur, quum Consulem duodecim seures praecesserint, Dictatorem viginti quatuor.

Supra dicitur primus Dictator *Lartius* imperio vsus mitissimo: nemo quippe ciuium ab ipso occisus aut in exilium pulsus aut grauius muletatus, nec Dictaturam designatis prius Consulibus deposuisse scribitur. Cuius exemplum omnes postea Dictatores secuti sunt, vsque ad recentiore aetatem: nusquam enim in omni eaque antiqua historia re- pertum, aliquem in hoc munerum genere se immodestum gessisse vel inciuilem, quamvis saepe resp. solemnibus Magistratibus abrogatis omnia vnus potestati permiserit. Aliquot annis tamen elapsis a Dictatura T. *Lartii* odiola res visa est omnium mortalium iudicio, quando *Lucius Cornelius Sulla* primus et solus acerbè crudeliterque ea vsus est et tum primum sentirent Romani, quod superioribus temporibus ignorauerant: *Dictaturam esse tyrannidem*: nam et Senatum ex qualibuscunq; constituit et tribuniciam potestatem fecit quam minimam et vrbes desolauit integras et regna aliis abstulit aliaque multa superbe gessit. Post interremionem *Cati Iulii Caesaris*, qui postremus fuit Dictator et quidem perpetuus contra leges patriae Dictatura penitus a rep. est sublata.

Dictatores itaque rebus angustis creati amplio- rem habuerunt potestatem, quam Consulum fuit; gaudebant desuper potestate bellum gerendi et pacem faciendi itemque conuocandi populum: quo non vno iure etiam *Israeuitarum* iudices olim vsi: id quod ex breui eorundem rerum gestarum expositione satis manifestum erit et perspicuum.

Successore *Mose* miraculis quam plurimis in Aegypto editis omnium sermone celebrati vita defuncto *Israeelite* DOMINVM interrogantes: Qui ipsorum bellum *Cananaeis* inferat? responsum ferunt: *Iudam* hoc negotium suscepturum esse. Qui etiam DEO adiutore ciuitatibus aliquot expugnatis nonnullisque prouinciis occupatis hostium quosdam opprimit. *Iehusaeis* vero a filiis *Beniaminis* non ad interuentionem deletis, nec *Beit-Sebeane* ac aliis a *Menasibeb* expulsis, nec *Cananaeis* in terra *Gefer* ab *Ephraimi* posteris exterminatis, nec *Kirronis Nabalolisque* a *Sebulonis* filiis extur-

batis, nec ciuibus *Aconis* et *Zidonis* ab *Asheritis* cictis, nec habitatoribus *Belb-Schemeseb* cum aliis a *Naphthali* posteritate depulſis, ſed *Israeſis* filiis in vetitum niſis compluribus *Cananaeis*, vt in medio ipſorum habitent, indulgentibus, DEI iracundia, in primis pacto cum his gentibus into, vehementer efferbuit, vt nec ab ipſo DEO poſtea extruſi populi in ſpinas *Israeſis* fierent et *Dii eorum* in laqueum. Quibus ſignificatur, quod reliquae gentium longe moleſtiſſimae, infeſtiſſimae et perniciouſſimae *Israeſis* futuree ſint. Vid. *Flacii clauem* Sc. S. ſub voce *Spinae*. Datis tandem a DEO Iudicibus, de quibus iamiam ſcribendum, hoſtes inferiores diſcedere coacti ſunt.

Equidem Iudicum Cap. II, v. 16 et 18 virorum, tectis autem nominibus, ſit mentio, qui *Israeſis* praefuerunt: ignobilioribus itaque palmam praeripit *Kenafſ*, fratris *Kalebi* natu minimus filius, *Orbnuel*, qui SPIRITV DEI repletus in bellum, armatu manu ſine dubio ſtipatus, contra *Syriae* Regem, *Kuſchan-Riſchataim* proficiſcendo victor abijt comparata rebus feliciter geſtis genti *Israeſiticae* quadraginta annos quiete exoptata et tranquillitate ſupina. Clamantibus *Israeſis* filiis admodum a *Moabi* Rege, *Eglone*, afflictiſ ad IEHOVAM ſubſidio eſt *Ebnud*, qui in monte *Ephratim* buccina clangens delecto cum exercitu deſcendendo proſtratis decem millibus iſſique validis aeque ac ſtrentis *Moabi* viris, octoginta annos, quietam reddit terram. Cui ad plures abeunti ſuccedit *Sebamgar* percusis bonis ſtimulo *Philiftaorum* ſexcentis *Israealem* ſeruati. Non vero Iudicibus tantum conſtitutus gaudiſ *Israel*, ſed et *Debora*, mulier Prophetiſſa, iudicauit *Israelem*, quae *Barako* Duce vocato opibus *Labini*, Regis *Cananaei* delectis omnibus hymno DEVM celebrat, in quo Cap. V, vndecimus verſus obſcuritate laborare videtur: *Da die Schuitzen ſebrien zwifchen den Schepffern* etc. cuius vero ſenſus: DEVM laudibus celebrandum: quia clamor puerorum et puellarum ad loca, vbi hauriantur aquae, ab hoſtilibus ſiguitis illos perentibus excitiatus ſopitius ſit et deſerit et quod iam ſecure liceat portas egredi.

In Iudicum numero inprimis inclaruit *Gidon*: quandoquidem buccina clangentem et nuncios in *Menafchem*, *Aſcherem*, *Sebalonem* et *Naphthali* mittentem ſequuntur armati triginta millia virorum, e quorum numero trecentis modo retentis ingentem vim hoſtium proſtravit, vt de exercitu centum, quinque et triginta millia ſuperante quindecim tantum millia fuga ſalutem peterent.

Praeſertim Cap. IX, 22 principatum ſuper *Israelem* obtinuit *Abimelech*us geſſitque tres annos, crudelitatem exercens in fratres, *Terubbaais* filios, ſeptuaginta viros ſuper vno trucidat lapide. Cranio *Abimelechi* fruſto molaris conſtracto, quo DEI vindicta fratrum caedem eidem retribuerat, *Tbota* ad ſeruandum *Israelem* excitatus tres et viginſ annos populum iudicat, ſucceſſorem *Jairum* nactus, cui triginta filii ſuper triginta pullis equitantes hiſque triginta ciuitates fuere.

Inter alios *Iphthabachus* non praetereundus, qui Dux a populo electus legatis ad Regem filiorum *Ammonis* miſiſ *Israelem* defendit, quod neque terram *Moabi* neque *Ammonis* filiorum occupauerit. Quem *Iphthabachum* Patrum et doctorum virorum quiram, vt pote: *Iosephus* L. V *Antiquitatum*; *Hieronymus* in *Epif. ad Iul. Ambroſius* Lib. III de *Virginitate*, it. Lib. III de *Officiis*, Cap. XII; *Auguſtin.* *Quaeſt. XLIX* in *Libr. Iudic.* filiam immolaſſe credunt; quod vero alii negant. contra ea perpetuae virginitati deauiſſe arbitrantur, hiſ inniſ argumentis: In ſacris paginis *Fau* ſaepe numero ſignificare *Aur*; hominem vi legis non potuiſſe offerri; *Iphthabachi* filiam plauxiſſe virginitatem, non vero vitae amiſionem; ſacerdotes non fuiſſe paſſos hominem immolari; *Iphthabachum* inter ſanctos Iudices computari; filias *Israeſitarum* annuatim iuiſſe ad conſabulandum cum *Iphthabachi* filia quatuor diebus; feciſſe ei *Iphthabachum* ad votum ſcum. Quo pacto id factum: in ſequentibus exprimitur: *Non cognouiſſe ipſam virum*. Si immolaſſet: SPIRITVS S. diſſiſſet: *Et immolauit eam DOMINO*. Qua opinione haud ſpernenda eſt *Brentius* de *interpretatione S. Sacr.* p. 823 ff. cum aliis. Quod vero *Iphthabachus* totius populi *Israeſitici* Iudex fuerit, patet ex *Iud. XII, 7*, vbi ſex annos *Israelem* iudicalliſ legitur.

In *Iphthabachi* locum ſubrogati *Ibbzan*, *Elon*, *Abdon*, *Schimschon*, *Eli*, *Schemuel*, per plagulae anguſtiam iam non attingendi, DEO vitam viresque largiente, alio prodibunt tempore. P. P. *Eiſenbergae*, VIII Kal. Maii, A. R. S. c. d. ccc. lxxiii.

(O)

129
3

X 2316804

II i
207

ISRAELITARVM IVDICES DICTATORES
ROMANORVM:

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
FRIDERICI III.

DVCIS SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE QVOQVE ET WESTPHALIAE, LANDGRAVII
THVRINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE, PRINCIPIS DIGNITATE
COMITIS HENNEBERGIAE, COMITIS MARCAE ET
BERGAE, DYNASTAE RAVEN-

STRITONIAE, COMITIS SACCINGIAE, COMITIS
EINII, TONNAE REL-

EXOPTATISSIMO

MAII, A. R. S. d. b. MCC LXIV,

ELICISSIME REDEVNTE,

RISSIMVS COMES,

ENB. PRAESES EMINENTISSIMVS,

HOLAE INSPECTORES GRAVISSIMI

ATQVE
T AMPLIFICATORES REI SCHOLASTICAE
MODVM HONORANDI,

VNCVLAS BENEVOLE AVDIENDAS

AVDITORIO MAIORI

LIDIEM COMPARERE HAUD DEDIGNENTVR,

BSERVANTERQVE ET PERAMICE

ORAT ET ROGAT

VID GSCHWEND, RECT

EISENBERGAE,

TTERRIS WALTHERIANIS

